



- 1 De pōētis proprieitate Matthæus Creigius.
- 2 Capita Religiosi Xeanæ Græcæ Joach: Camerang.
- 3 Laus Xer resurgentis Christi Petrus Belarq.
- 4 Carmen Habram Barth: Radmanny.
- 5 Carmen Hab: Gi dem.
- 6 Salms CIII Carminicæ Pancratius Grigors.
- 7 Prophetæ Jonas Carminicæ. Daniel Sarc.
- 8 Ecloga de Xeo triumphante Barth: Byloq.
- 9 Canonæ Monach. Transl. propositi in Hildesheim Crise.
- 10 Davidis tropæum Joh: de Cottetiz.
- 11 Davidis triumphg Jan: Henricus Scroteng de Gustrow.
- 12 de Mundi termino Joh: Polidorq.
- 13 Ecloga in diem Martini. Abraham: Peceliq.
- 14 De Parte Novitatis Dethleff Meyerg.
- 15 Bernardi degentia mundi Carminia.
- 16 Joan: Fraxine Melos R. Spangenberg Tufestym.
- 17 Concordia conciva Albertus Olearius.
- 18 Carminum Joach: Bilsq. Liber I.
- 19 Gregorij Crebicij poëmatu.
- 20 cogniticon Joh. Staibij e.
- 21 Ratio Media Carminicæ Laur: Homang.
- 22 Alberti Vorti Pantheicias.
- 23 De Incommodis Semetictis Erasm: Roterdam.

Q3.105 (1-66)

V

48

MEMORIAE  
OPT. ET FLLVSTRISS. PRIN-  
CIPIS ET DOMINI, DN.

IOANNIS,  
I. A. F.  
DVCIS MEGAPOLITANI, PRIN-  
cipis Vandalorum, Comitis Suerini,  
Domini Rostochij & Stargar-  
dix, Domini sui cle-  
mentiss.

THRENODIA ET  
EPITAPHIVM.  
NATHANIS CHYTRÆI.



Rostochij typis Stephani Myliandri  
ANNO

---

cl b XCII.

*JLLVSTRISSIMI PRINCI-*  
*PIS ET DOMINI, DN.*

**IOANNIS**  
*DVCIS MEGAP. &c.*  
**ILLVSTRISS. CONIVGI, ET**  
*relictæ vidua cariss.*

**SOPHIAE,**  
Natæ ex regia familia illustriss. Ducum  
Holsatiæ.

Eorundemque Liberis illustriss.  
**DN. ADOLPHO FRIDERICO.**  
**DN. IOANNI ALBERTO.**  
**DN. ANNÆ SOPHIAE.**  
Ducib. Megap. principibus Vandalorum,  
Comitib. Sucrini, Dominis Rostochij & Stargardia,  
D. S. CL.

**THRENODIAM HANC**  
*MEMORIE*

Desideratiss. mariti, & dulciss. patriæ  
eorum effusam  
Submissa compellatione nuncupat  
consecratq;

NATHAN CHYTRÆVS.



THRENO.  
DIA.

T qua iam te voce canam , quo carmi-  
ne funis  
Prosequar alme tuum: ö magni clarif-  
sime fili

Patris Ioannes , quem mors iuuenilibus annis  
Abstulit è tenera complexu coniugis , inter  
Dilecta lacrymas sobolis , fletusq; sonoros .

Pergite Varniades cæptas iterare querelas:  
Et gratum pridem vobis ante omnia patris  
Principis extincti , & patrui memorabile nomen  
Luctisonis iterate modis. hic optimus ille  
Ductor Ioannes Albertiades Albertus ,  
Doctrina , ingenioq; fuit memorabilis heros .  
Hoc , & Vdalrico ducibus , Megalepolis alnum  
Sustulit in sublime caput , cæpitq; vigere  
Pæne bonis cunctis , vita qua poscit honesta  
Et sancta ratio . num quis meliora requirat ?

Pergite Varniades cæptas iterare querelas.  
His ducibus pia religio , trucis Antichristi  
Sordibus explosis longe formosior atq;

Purior

Purior enituit, quam cum hac per rura, per urbes  
Vana Supersticio sceptrum sublime ieneret,  
Cœcatrahens cœcos, & auerni in tartara mittens.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Testis erit sacer ille liber, pius ille Melanthon,  
Principibus tum gratificans, quem scripsit, ecq;  
Fundamenta pia doctrina, omnesq; sacrorum  
Complectens ritus, hanc, post sacra Biblia, normam  
Terra Ecclesiolis huius præscripsit, adhuc qua  
Est rata pontifices contra, cunctosq; sophistas,  
Schismaticosq; adeò, clara qui lumen Alethes  
Obscurant, atq; oderunt cane peius & angue.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Testis erit schola Varniadum, Balthesq; Rosetum,  
Incultum prius & vastum, cœcaq; priorum  
Barbarie squalens, isto quod tempore nactum  
Cultores satis eximios celebresq; viciissim  
Florere, & roseos diffundere cœpit odores  
Trans mare, trans terras, silvasq; & saxa, secuti  
Quos Cimber, Batavus, Saxo, durusq; Chamauus,  
Vangio quem Cattusq; sagax, acerq; Nariscus,  
Vindelicusq;, Vbiusq; adeò, Livo atq; Borussus,  
Nec non & Danus, Noruegus, & incola Thules

Sulphu-

Sulphuree, Suecusq; sequens, hinc inde comantes  
Decerpsero rosas Musarum, almaq; Hygiea,  
Euepies, Charitum, Sophia, Eunomiaq; verenda:  
In patriamq; suam nitidas retulere corollas.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Testis erit iusti studiosa prouincia & aqua:  
Atq; eius commune forum, Iurisq; periti  
Et legum paredri, quo quis audire parati,  
Ipsi sub præsidio Ducis, absq; potentis  
Respectu & tenuis, ditis vel prorsus egeni,  
Exigui aut magni: sic ut sententia lites  
Sat citò componat: nec ius violentia vincat,  
Iure manus, non legis agens. Latro nullus in agris  
Aut filius latitat: culpam moresq; pudendos  
Pœna premens sequitur nullis inhibenda querelis,  
Non prece, non precio, non ulla flexilis arte.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Omnia quid referam? Megalepolis inclyta, sum-  
His Ducibus florē quasi contigit. ipseq; Janus (num  
Albertus bona tanta suis ut linquere posset  
Integra, Ioannem natum, cum fratre, tenellis  
Fingere ab unguiculis studuit, quo nosse valerent  
Munera tanta Dei: serisq; nepotibus illa

A 3 Paula-

Paulatim simili possent transmittere cura.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.

Octauus secli istius qui Iubilis annum

Subsequitur, Nonis Martis labentibus, olim

Natalis fuit illustri huic dulciqz puello:

Lux eadem ternis quando ante ea tempora lusiris

Prima affulsisset Fridericiada Casimiro,

Nunc quoqz, quem patriæ columen, Papeqz tremo-

Artibus & belli pariter pacisqz potentem, (rem,

(Bascanie iuuit as circum licet arrigat aures)

Nicriades lugent, ad myrtilleta Palati

Augusti suspirantes, & cuncta replentes

Fletu, quem repetit celsis è montibus Echo.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.

Mox ubi complessisset pueriles integer annos;

Eius curam habuit meus ille Caselius, alnum

Vir Sophia Euepiesqz decus, Charitumqz nitela,

Tanquam alter Phœnix. hoc scilicet ille magistro

Verborum orator, rerumqz effector ut esse

Inciperet: patriam & maiori semper amore,

Quam semet, ludosqz suos, aut commoda curans;

In commune bonus, cunctis prodesse, nec ulli

Vivel pratextu iuris nocuisse studeret.

Pergite

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Hinc Iobus Magdeburgus eum albesente verendus  
Canitie & pietate valens, variaq; politus  
Doctrina e patria ad Phylir aum abduxit Elistrum,  
Aula præfecto, & vita morumq; magistro  
Eximio Bassuitio, Victorius ille  
Vtpote quem dignum non rara laudis honore  
Censuerit, scriptisq; suis intexere nomen  
Illiis haud dubitarit, honor Victorius Arni,  
Et doctos inter nostro doctissimus auo.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Hinc ille in patriam cum laude reuersus auitam,  
Finitis tutela annis, rerum ipse potiri  
Cœpit, & exhaustos ad rem conferre labores:  
Depositumq; sui patris, ipse simillima proles,  
Communi patriæ & genti seruare fidelis  
Proposito & studio. Themis hinc, Pietasq; Fidesq;,  
Et Pudor, & Probitas, & docta Thalia priorem  
Obtinuere locum: quarum studiosus & ipse  
Cum foret, hac eadem ciues quoq; dia bearunt  
Munera, fulvo etiam vel nobiliora metallo.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Non cuiquam grauis ille fuit, verū omnibus aequus,

A 4. Agri-

Agricolas etiam non aspernatus egenos.  
Blasphemas ex ore eius prodire loquelas  
Audivit nemo, aut voces mala certa precantes,  
Spirantesue minas. casti decus ille pudoris  
Intactum conseruauit sibi rite suaq;  
Consorti Sophia, qua Cimbra ex gente creata  
Regali, primos eius libauit amores,  
Postremosq; adeò quid de pietatis amore.  
Cognita commemorem? multi dum pocula siccant,  
Sectantur ueferas ipsi meditatio libri  
Diuini cura una fuit, quem sape legentem  
Mane nouo Eous vidit, vesperq; decorus.  
Quacunq; cura premerent, quicunq; labores,  
Hos precibus mandare Deo votisq; solebat  
Assiduis, imoq; adeò de pectore fuisse.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Hoc iter, huncq; tenens cursum, cum quatuor annos  
Triginta supra impletisset, planè integer aui,  
Ut flos à duro occubuit succisus aratro.  
Quamuis, qui curas eius, variosq; labores  
Cognorit, summo vel possit iure fateri,  
Tam clarum virtute ducem, ver prorsus in anno  
Non habuisse suo. quo fortunatior esse est

Cen-

Censendus, cui mors aeterni ianua veris  
Et floris sit facta, sui quem deniq<sup>z</sup> fructus  
Maturi & nulla perituri atate sequentur.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Non tamen immerito luget mæstissima coniunx  
Principis extincti Sophia inclyta, patris Adolphi  
Delicium quondam in Cimbris cum sceptra teneret.  
Non flett immerito Fridericus Adolphus, eiq<sup>z</sup>  
Frater Ioannes Albertus amabilis, Anna  
Cum Sophia tenera: pariter iam scilicet orbi  
Tam miti, egregio, & pleno pietate parente:  
Non patria immerito luget, pietatis amore,  
Et probitate parem vix post habitura Toparchen.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Quam verò miseræ sint urbes, regna, ducatus,  
Si caput his desit prudens, patiensq<sup>z</sup> laborum;  
Aut si cauda caput regere & ductare Leonis  
Sollicitè satagat; multorum exempla loquuntur  
Multa nimis faxint superi, Megalepolis ipsa  
Nemox experiatur idem: quod cœlitus omen  
Auertat pater omnipotens spes una suorum  
Rebus in angustis, cum desperata videntur  
Omnia, & instantem minitari cuncta ruinam.

Pergi-

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
In primisq; orate Deum, cui summa potestas  
Regnorum & regum, ut canum Duciis Udalrici  
Protegat ipse caput, vitaq; huic proroget annos,  
In vegeta hac viridiq; sua crudaq; senecta.  
Quod qui non facit, est patria certissimus hostis,  
Nec sibimet quoq; sat fidus, nec amicus amicis.

Pergite Varniades cœptas iterare querelas.  
Submissaq; orate Deum, vt Fridericus Adolphus,  
Cum fratre, haud habeant peiores arte magistros,  
Cultoresq; animi & morum, dilectus eorum (nostro  
Quam genitor cum fratre habuit ( quam tempore  
Ebeu rara horum seges atq; annona & rororum est!).  
Vtq; illi dociles præbere monentibus aures  
Ex animo studeant. hac hac Megalepolis una  
Seruari ratione queat iam pane videri:  
Seraq; posteritas aliquam sperare salutem:  
Qua sine, ni cœli clementia fida fauorq;  
Desuper adspirent, mens agra vt iudicat, actum est.  
Sistite Varniades fusas è corde querelas,  
Et potius sancte usq; adeò, placideq; pieq;  
Plaudite defuncto, quem tristi è valle dolorum,  
Mœrorum, angorum, lacrymarum, ad gaudia cœli,  
(Qua

(Quæ toties gemitu optauit votisq; profusis)  
Transtulit ipse Deus, fletusq; expertia regna:  
Nullus ubi vel morbus ei, vel turpis hirudo  
Fœnoris, aut etiam Dyschrestia dura nocebit:  
Non alia afflagent cura: sed in omne beatus  
Ænum, cunctorum viuo de fonte bonorum  
Vel votis potiora feret. quis plura requirat?  
Sistite Varniades lugubres sistite fletus.

## E P I T A P H I V M

D. O. M. S.

ILLVSTRISS. PRINCEPS IOANNES, IOAN-  
nis Alberti Ducis Megap. filius & successor,  
a puerò litteris excultus, pacis & iustitiæ ama-  
tor & defensor, blasphemix, scelerum & libi-  
dinem osor, erga subditos benevolus & mi-  
tis, Ecclesiarum & scholarum nutricius, in  
omni boni principis officio laboriosus: cum  
Stargardiæ immatura, sed pia tamen morte  
è viuis excessisset; mortalitatis suæ reliqui-  
as, non procul à paternis maternisque, hic de-


po-

posuit , anima in paradisum recepta. coniuge  
interim illustriss. Sophia Cimbrica , & libe-  
ris superstitionibus misere lamentantibus : lu-  
gente , & non immerito, tota prouincia.

*Natus est An: Chr. cI. I. LIX.  
Die VII. Martij. Decessit XXII.  
Marty antiqui , An. cI. I. XCIL*

**F I N I S.**





VD16  
PICH

10  
POET



48

MEMORIAE  
OPT. ET FLLVSTRISS. PRIN-  
CIPIS ET DOMINI, DN.

IOANNIS,  
I. A. F.  
DVCIS MEGAPOLITANI, PRIN-  
cipis Vandalorum, Comitis Suerini,  
Domini Rostochij & Stargar-  
diæ, Domini sui cle-  
mentiss.

THRENODIA ET  
EPITAPHIVM.  
NATHANIS CHYTRÆI

